

Tum Pontifex accedit ad ostium Ecclesiæ, et cum extremitate baculi pastoralis facit crucem in parte superiori, et aliam in parte inferiori intrinsecus.

Quo facto deposito baculo, stans ibidem prosequitur, dicens:

Sit pòsitis crux invicta liminibus; utrique postes grátia tua inscriptiõne signentur; ac per multitudinem propitiatiõnis tuæ visitatõribus domus sit pax cum abundantia, sobrietas cum modestia, redundantiã cum misericordia. Inquietudo omnis et calamitas longe recedant. Inopia, pestis, morbus, languor, incursusque malorum spirituum tua semper visitatiõne discendant; ut tua fusa in hoc loco visitatiõnis grátia extensos ejus terminos et atria circumacta percurret; sitque per cunctos ejus angulos ac recessus hujus gurgitis purificatiõ per lavacrum; ut semper hic lætitiã quiëtis, grátia hospitalitatis, abundantia frugis, reverentiã religionis, copiãque sit salutis. Et, ubi invocatur sanctum nomen tuum, bonorum omnium succedat copia, malorum tentamenta procul effugiant: et mereamur habere nobiscum Angelum pacis, castitatis, caritatis, ac veritatis, qui semper ab omnibus malis nos custodiat, protegat, et defendat. Per Dòminum nostrum Jesum Christum Fìlium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spìritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Deinde redit ad dictum locum, ubi aquam benedixit, et stans ibidem versus ad altare majus, mitram in capite tenens, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, in cujus domo mansiones multæ sunt, supplices deprecemur, ut habitaculum istud bene ✠ dicere, et custodire dignetur, per aspersionem hujus aquæ cum vino, sale, et cinere mixtæ. Per Dòminum nostrum Jesum Christum Fìlium suum: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spìritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Post hæc Pontifex procedit ad altare cum mitra; et ibidem inchoat, schola prosequente, Antiphonam sequentem:

CONSECRATIO ALTARIS.

Advertendum, quod si plura altaria in eadem Ecclesia tunc fuerint consecranda, Pontifex eosdem actus, et cæremonias facit, sub eisdem verbis, in singulis altaribus successive, sicut facit in primo altari.

Introibo ad altare Dei: * ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Psalmus 42.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Repetitur tota Antiphona prædicta, si necesse fuerit.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Iterum repetitur Antiphona. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

tem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Antiphona tota repetitur.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum qui lætificat juventutem meam.


Et non dicitur Glória Patri, sed Antiphona prædicta repetitur.

Incepta prima Antiphona, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta, ultimo per eum benedicta, et cum eo, et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens:

Sancti ✠ ficetur hoc altare, in honorem Dei omnipotentis, et gloriøsæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriã sancti **N.** In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spìritus ✠ sancti. Pax tibi.

Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa.

Sancti ✠ ficetur hoc altare, etc. Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, id est, ubi legitur Evangelium, secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ, tertiam in dextera anteriori, quartam in sinistra posteriori tertie transversa in hunc modum.



Quo facto, et finitis Antiphona, et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit:

Orémus. Et ministri: Flectamus genua. **R.** Levate.

Singulare illud propitiatorium in altari crucis pro nobis redimendis Oblatum, in cujus præfiguratiõne Patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cœli desuper aperireretur oraculum; supplices tibi, Dòmine, preces fundimus, ut lapidis hujus expolitam materiã, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditari sanctificatiõnis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per Christum Dòminum nostrum. **R.** Amen.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam, et stipitem de aqua prædicta ultimo per eum benedicta, cum aspersione de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris inchoat Antiphonam, et schola prosequitur:

Asperges me * Dòmine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Iterum Antiphona repetitur.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: * quare tristis es anima mea et quare conturbas me?

Repetitur, ut prius, Antiphona.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus: * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Interim Pontifex accepta mitra, circum altare, illudque aspergit, et redit ad locum ante medium altaris, unde discesserat.

Finitis dictis Versibus, Pontifex ibidem stans cum mitra inchoat secundo, ut prius, Antiphonam:

Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Interim Pontifex circum secundo, aspergitque et redit, ut prius; et finitis Versibus, stans ut supra Pontifex cum mitra inchoat tertio Antiphonam:

Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta, et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam: * et exsultabunt ossa humiliata.

Interim Pontifex circum tertio, aspergitque et redit, ut prius; et finitis Versibus praedictis, stans cum mitra ut supra, inchoat quarto Antiphonam:

Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Et interim Pontifex circum quarto, aspergitque et redit, ut prius; et finitis Versibus praedictis, stans cum mitra in capite, inchoat quinto, stans ut supra, Antiphonam:

Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: * et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

Interim Pontifex circum quinto, aspergitque et redit, ut prius; et finitis Versibus praedictis, stans cum mitra ut supra, inchoat sexto Antiphonam:

Asperges me, et schola prosequitur, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Domine, labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Interim Pontifex circum sexto, aspergitque et redit, ut prius; et finitis dictis Versibus, stans cum mitra ut supra, inchoat septimo Antiphonam:

Interim Pontifex circum septimo, aspergitque, et redit, ut supra.

Subsequenter circum ter Ecclesiam interius, tantum aspergendo parietes ejus cum praedicta aqua benedicta, hoc modo.

Finitis dictis Versibus, et septimo circuitu per Pontificem, ut supra, facto, schola cantat Antiphonam:

Hæc est domus Domini firmiter aedificata: bene fundata est supra firmam petram.

Ps. 121. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi * in domum Domini ibimus.

Et dicitur totus prout supra in Benedictione primarii lapidis, pag. 123. sed in fine non dicitur Glória Patri.

Interim incepta Antiphona praedicta, Pontifex cum mitra, incipiens retro altare majus, procedit ad dexteram partem, circuiens intrinsecus Ecclesiam, et parietes illius; aspergit eam a parte inferiori, juxta terram, rediens usque ad locum retro altare, unde discessit: quo facto, ac finitis Antiphona, et Psalmo praedictis, schola cantat Antiphonam:

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Psalmus 67.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israël.

Ibi Benjamin adolescens, * in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: * principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuae: * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, con-

Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Et non dicitur Glória Patri.

gregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa Gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Aegypto: * Aethiopia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo: * psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli, * ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super

Israël, * magnificèntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis,

Et non dicitur Glória Patri.

Interim Pontifex secundo, per eandem viam circuiens, aspergit parietes Ecclesiae in medio, id est, circa altitudinem faciei suae, rediens usque ad locum unde discessit: quo facto, ac finitis Antiphona, et Psalmo praedictis, schola cantat Antiphonam:

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur.

Psalmus 90.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * et retributióne peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Interim Pontifex tertio circuit Ecclesiam, incipiens a sinistra parte; et aspergit parietes illius, altius quam secundo, rediens ad locum, unde discessit. Quo facto, adhuc mitram in capite tenens aspergit cum praedicta aqua pavementum Ecclesiae per medium, incipiens ante altare, usque ad portam principalem, deinde per transversum, de uno pariete ad alium. Interim schola cantat tres sequentes Antiphonas cum suis Versiculis:

Domus mea, domus oratiónis vocábitur. **V.** Narrábo nomen tuum frátribus meis, in médio Ecclésiæ laudábo te. **sine** Glória.

Alia Antiphona.

Dómine diléxi decórem domus tuæ. **V.** Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. **sine** Glória.

Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Non accédet ad te malum: * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis: * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum, et glori ficábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * et osténdam illi salutáre meum.

Et non dicitur Glória Patri.

Alia Antiphona.

Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.

Dictis Antiphonis praedictis, et aspersione, ut praemittitur, facta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiae versus ad altare majus, inchoat, et schola prosequitur, Antiphonam:

Vidit Jacob scalam, * sùmmitas ejus cœlos tangébat, et descendétes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Dum cantatur Antiphona praedicta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiae aspergit aquam per pavementum, versus Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Austrum.

Finita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio Ecclesiae, conversus ad portam principalem, dicit competenti voce:

Orémus. Et ministri: Flectámus génuá. **R.** Leváte.

Deus, qui loca nómini tuo dicánda sanctificas, effúnde super hanc oratiónis domum grátiam tuam; ut ab ómnibus hic nomen tuum invocántibus, auxiliúm tuæ misericórdiæ sentiátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Tum ibidem stans, adhuc conversus ut prius, dicit:

Orémus. Et ministri: Flectámus génuá. **R.** Leváte.

Deus sanctificatiónum, omnipotens dominátor, cujus pietas sine fine sentítur; Deus, qui cœlestia simul et terréna complécteris, servans misericórdiam tuam pópulo tuo ambulánti ante conspéctum glóriæ tuæ: exaúdi preces servórum tuórum; ut sint óculi tui apérti super domum istam die ac nocte: hanc quoque basilícam in honórem sanctæ et victoriosíssimæ Crucis, et memóriam Sancti tui **N.** sacris mystériis institútam clementíssimus dédi **✠** ca, miserátus illú **✠** stra, próprio splendóre clarí **✠** fica, omnémque hóminem veniéntem adoráre te in hoc loco placátus admítte, propítius respícere dignáre, et propter nomen tuum magnum, et manum tuam fortem, et bráchiúm tuum excélsium, in hoc tabernáculo tuo supplicántes libens prótege, dignánter exaúdi, æténa defensióne consérva; ut semper felices, sempérque in tua religióne lætántes, constánter in sanctæ Trinitátis confessióne, fide Cathólica perseverént. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Deinde stans adhuc conversus, ut prius, ibidem extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem:

Per ómnia sácula sæculórum. **R.** Amen.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, adésto précibus nostris, adésto Sacraméntis, adésto étiam piis famulorum tuorum labóribus, nobisque misericórdiam tuam poscéntibus. Descéndat quoque in hanc Ecclésiám tuam, quam sub invocatióne sancti nóminis tui, in honórem sanctæ Crucis, in qua coætérnus tibi Filius tuus Dóminus noster Jesus Christus pro redemptiÓne mundi pati dignátus est, et memóriam Sancti tui **N.** nos indigni consecrámus, Spíritus sanctus tuus, septifórmis grátiae ubertáte redúndans; ut quotiescúmque in hac domo tua sanctum nomen tuum fúerit invocátum, eórum, qui te invocáverint, a te pio Dómino preces exaudiántur. O beáta et sancta Trínitas, quæ ómnia purificas, ómnia mundas, et ómnia perórnas. O beáta majéstas Dei, quæ cuncta imples, cuncta cóntines, cuncta dispónis. O beáta et sancta manus Dei, quæ ómnia sanctificas, ómnia benedícis, ómnia locuplétas. O sancte Sanctórum Deus, tuam cleméntiam humíllima devotiÓne depóscimus, ut hanc Ecclésiám tuam, per nostræ humilitátis famulátum, in honórem sanctæ et victoriosíssimæ Crucis, et memóriam Sancti tui **N.** puri ✠ ficáre, bene ✠ dícere, et conse ✠ cráre perpétua sanctificatiÓnis tuæ ubertáte dignéris. Hic quoque Sacerdótes sacrificia tibi laudis ófferant; hic fidéles pópuli vota persólvant; hic peccatórum ónera solvántur, fidelésque lapsi reparéntur. In hac ergo, quæsumus Dómine, domo tua Spíritus sancti grátia ægróti sanéntur; infirmi recuperéntur; claudi curéntur; leprósi mundéntur; cæci illuminéntur; dæmónia ejiciántur. Cunctórum hic debílium incómmoda, te Dómine annuente, pellántur, omniúmque víncula peccatórum absolvántur. Ut omnes, qui hoc templum beneficia juste deprecáturi ingrediúntur, cuncta se impétrasse læténtur; ut concéssa misericórdia, quam precántur, perpétuo miseratiÓnis tuæ múnere gloriéntur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo ita tamen, quod a circumstantibus audiri possit:

Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Præfatione finita, Pontifex, accepta mitra, procedit ante altare, et ibi cum præmissa aqua benedicta facit maltam, seu cæmentum, quod mox deposita mitra, stans ibidem benedicit, dicens:

Y. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Summe Deus, qui summa, et média, ímaque custódis, qui omnem creatúram intrínsecus ambiéndo conclúdis, sancti ✠ fica, et béne ✠ dic has creatúras calcis, et sábuli. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim, sive pedem stiptis altaris per circuitum.

Pontifex deinde procedit processionaliter cum cruce, et clero ad locum in quo Reliquiæ nocte præterita conservatæ fuerint; et defertur Chrisma usque ad fores Ecclesiæ; sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra, deposita mitra, dicit:

Orémus. **Et ministri:** Flectámus génua. **R.** Leváte.

Aufer a nobis, quæsumus Dómine, cunctas iniquitátes nostras; ut ad Sancta Sanctórum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Deinde Pontifice, accepta mitra, locum ipsum cum Presbyteris, et clero ingrediente, schola cantat Antiphonas sequentes:

O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque ferit.

Alia Antiphona.

Movéte vos Sancti Dei de mansiónibus vestris, ad loca festínate, quæ vobis paráta sunt.

Alia Antiphona.

Ecce pópulus custódiens judícium, et fáciens veritátem, in te speravérunt Dómine usque in ætérnum.

Alia Antiphona.

Via Sanctórum facta est recta, et iter eórum præparátum est.

Psalmus 94.

Veníte, exultémus Dómino: * jubilémus Deo salutári nostro.

Præoccupémus fáciem ejus in confessiÓne, * et in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus: * et Rex magnus super omnes deos.

Quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, * quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud: * et áridam fundavérunt manus ejus.

Veníte adorémus, et procidámus ante Deum: * plorémus co-

ram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster.

Nos autem pópulus ejus: * et oves páscae ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, * nolíte obduráre corda vestra.

Sicut in exacerbatiÓne, * secúndum diem tentatiÓnis in deserto.

Ubi tentavérunt me patres vestri: * probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis próximus fui generatiÓni huic: * et dixi: Semper hi errant corde.

Ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea; * si introíbunt in réquiem meam.

Et non dicitur Glória Patri, vel, si magis placet, omissis omnibus præmissis Antiphonis cum Psalmo, schola cantat Responsorium de illo Sancto, cujus sunt ipsæ Reliquiæ. Interim Pontifex manet stans juxta Reliquias. Finitis autem

Antiphonis cum Psalmo, vel Responsorio prædictis, Pontifex stans ibidem coram Reliquiis, detecto capite, dicit:

Orémus. Et ministri: **Flectámus génua. R̄. Leváte.**

Fac nos, quæsumus Dómine, Sanctórum tuórum tibi speciáliter dedicáta membra digne contíngere, quorum patrocínia cúpimus incessánter habére. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄. Amen.**

Tum Pontifex, accepta mitra, imponit incensum in thuribulo, et fit processio, hoc ordine. Procedunt duo ceroferrarii cum luminaribus, deinde crux, tum clerus cantans Antiphonas subsequentes; post hos, Sacerdotes portantes feretrum cum Reliquiis, et juxta eos thuriferarius continuo Reliquias ipsas incensans, et immediate ante Reliquias ipsas præcedant aliqua intortitia, deinde Pontifex paratus cum suis ministris. Processione igitur locum ipsum exeunte, Pontifex inchoat primam Antiphonam, schola ipsam et omnes alias sequentes prosequente:

Cum jucunditate exhibitis, * et cum gaudio deducimini: nam et montes et colles exsiliant, expectantes vos cum gaudio, allelúja.

Alia Antiphona.

Súrgite Sancti Dei de mansiónibus vestris, loca sanctificáte, plebem benedicite, et nos hómines peccatóres in pace custodíte.

Alia Antiphona.

Ambuláte Sancti Dei, ingredímini in civitátem Dómini, ædificáta est enim vobis Ecclésia nova, ubi pópulus adoráre debet majestátem Dómini.

Alia Antiphona.

Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sânguine Agni.

Eis igitur ad Ecclesie consecrande fores pervenientibus, priusquam ingrediantur, dimissa ante fores Ecclesie schola Antiphonas prædictas cantante, Pontifex, præcedentibus ipsum duobus ceroferrariis, cruce, thuriferario, et Sacerdotibus feretrum Reliquiarum portantibus, circuit Ecclesiam cum ipsis Reliquiis, populo sequente, et clamante:

Kýrie eléison.

Quo facto Pontifex sedens cum mitra in faldistorio, ante fores Ecclesie ad id parato, brevi sermone populum alloquitur.

Quanta, fratres carissimi, Ecclésiis, et Deo dicatis locis habenda sit reverentia, cánones, et leges, et universalis religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim quam in sacris basilicis, Dómino offerri sacrificium debet. Præcipiente síquidem Dómino per Móysen, tabernáculum cum mensa, atque altári, et æreis vasis, utensilibusque consecratum est ad divinum cultum expléndum; ipsum quoque tabernáculum non solum sacrasse, sed óleo quoque linivisse légimus. In ipso autem tabernáculo non alii, quam sancti Sacerdotes, et Levítæ véstibus sacris ornáti Sacraménta tractábant, et pro pópulo oblationes offerébant. Póstmodum tam Reges Hebræórum suum templum, quam Románi christiáni príncipes basilicas

a se constructas summa in veneracione habuerunt; immunisque ab omni vulgari strépitu, et negotio esse voluerunt; ut domus orationis ad aliud nullum commercium, atque usum accommodaretur. Eamque privilegii, et immunitatis prerogativam habere voluerunt; ut si quis temerarie sacrilegas manus apposuisset, gravissimis suppliciis afficeretur. Non enim justum visum est, domum Dei altissimi temerariis presumptionibus expositam esse, nec latronum (juxta verbum Veritatis) speluncam esse. Locus est salutis, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora jacitur. Hanc beneficia peturi adeunt, et justae eorum preces exaudiuntur. Capitulum criminum rei ad hanc fugientes, impunitatem facti, implorantibus Sacerdotibus, accipiunt. Magna ergo veneracione sacratas Dómino basilicas adeatis, fratres carissimi, mundique facinoribus Dómino oblationes cordis vestri offeratis. De quibus basilicis hæc una est, cui **N.** et **N.** Summi Pontifices privilegia concesserunt, quam vos ædificari fecistis, (vel **N.** ædificari fecit) et nobis humiliter supplicastis, (vel supplicavit) ut eam consecrare dignaremur. Nos autem vestris (vel suis) honestis supplicationibus inclinati, eam in honorem omnipotentis Dei, beatae Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, ac memoriam sancti **N.** dedicamus; et in ejus altari Reliquias sanctorum **N.** et **N.** Deo propitio, poni decrevimus, et in altari **N.** vel in loco **N.** sunt corpora, vel Reliquiae Sanctorum **N.** et **N.** quæ (vel quas) qui devote visitaverit, indulgentiam **N.** per **N.** concessam obtinebit. Vos insuper moneo, fratres carissimi, ut decimas quæ sunt divina tributa, integre Ecclésiis et Sacerdotibus persolvatis. Has sibi Dóminus ad universalis domini signum reservavit. Audite sanctum Augustinum: Decimæ tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis, et animæ consequeris. Non igitur Dóminus Deus præmium postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse? De milita, de negotio, de artificio redde decimas. Cum enim decimas dando, et terræna et cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti; et hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Revertimini ad me, inquit Dóminus apud Prophétam, et revertar ad vos. Et dixistis: In quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus, te? In decimis, et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et